



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi
praesertim Ecclesiae accommodatum**

Frangipani, Ottavio Mirto

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 F 2269

De Decanis Ecclesiarum collegiatarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

Decanos, Collegiatarum Ecclesiarum quàm Rurales seu Christianitatum intelligit.

DE ECCLESIA RVM COLLEGIATARVM DECANIS.

1. **D**E Decanis Collegiatarum Ecclesiarum, quamuis titulo de Prælatis generatim atque vniuersè actum sit; cùm tamen hic locus singularem de eis tractationem postulet, præcipua, muneris atq; officij quod eis incumbit, capita, quorum Ecclesiæ Colonienfis Concilia & statuta meminerunt, hîc recensenda esse putauimus.

2. Decani itaque eandem penè in Collegijs suis in sibi subiectos habent authoritatem, iurisdictionem, curam atque sollicitudinem, quam in regiuncula sua habent Archidiaconi. Nam vt in statutis Conradi Archiepiscopi, cap. 9. Anno 1260. quarto Idus Martij pronuntiatum est: pœnes eos consistet Ecclesiarum suarum potestas, lege ac gubernatione Canonice disciplinæ exercenda. Et quemadmodum alibi, tum in Constitutionibus D. VVilhelmi Colonienfis Ecclesiæ Archiepiscopi 25. Februarij Anno 1352. æditis, cap. 2. legimus: eis, tanquam iudicibus correctionis & disciplinæ suorum subditorum, vigilandum est, vt quæ in prouincialibus Concilijs, Synodalibusque statutis, alijsq; Episcoporum Constitutionibus præscripta sunt, à subiecto sibi clero obseruentur: & si quæ contra illa ab his commissa fuerint, eadem de iure & cõsuetudine tenentur corrigere, & secundùm Canonicas sanctiones vindicare; prout ab eodem VVilhelmo in Cõstitutione Anno 1353. 4. Mart. ædita, apertè indicatum est.

Quò referenda sunt, quæ de publicandis a Episcoporum Concilijs & Synodis, Romanorumque Pontificum Decretis & Constitutionibus; Quæ itè de habenda cura, ne quid vel per suspectæ & impurioris doctrinæ Ecclesiarum Rectores, vel per Pædagogiorum præfectos, vel per infectos hæresi libros, aut alia quauis ratione in Ca-

tho-

Pag. 12. d.

Pag. 155. a. b.

Synodus Diæ
cesana sub
Adolpho 3.
Anno 1550.
26. Februar.
habita pag.
464. c.
Cap 5. statu-
torum eius
pag. 157. c.
a VVilhel-
mus in Con-
stit. Anno
1360. 1. Octo.
ædita, ca 29.
statutorum
eius pag. 181.

tholicam Ecclesiam irrepat, Archidiaconis fuerunt praescripta. Hæc enim ad Decanos Collegiales quoque pertinere, & ab ipsis in Collegijs ac locis eorum iurisdictioni subiectis debere præstari, ex varijs Episcoporum Colonialium Constitutionibus dignoscitur.

3. Præter hæc autem, cum, ut dictum est, Collegiatarum Ecclesiarum Decani, Pastores sint omnium Canonico- rum, & inferioris Cleri sui Collegij; à pastoralibus officijs minimè abhorreere debent, eaque à se, tanquam sibi indigna, reijcere; quin potius Pastoris nomine & opere gloriantes, exemplo Christi, cuius ut locum tenent, ita formam sequi tenentur, qui dixit: *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis*: nihil sibi reputent indignum, nisi quod saluti ouium obesse potest, non quærentes quæ sua sunt ut mercenarij, sed seipsos impendentes ut veri pastores.

4. Cum pastorum sit, diligenter agnoscere vultum peccatoris sui, suosque greges considerare, ac singulas oues vocare nominatim; hanc quoque curam ad se pertinere agnoscant Decani. Quare curent singulorum Canonico- rum, Vicariorum, Clericorum, aliorumque sibi subiecto- rum, animæ statum ita exploratum habeant, ut cum securitate animæ suæ, de animabus illorum Domino Deo & Episcopo suo quodcumque eis placuerit, reddere possint rationem.

5. Ad cognoscendos autem singulos, ac statum cuius- que animæ certius explorandum; in primis proderit, singulorum confessiones frequenter audire; in quibus fidelis & deuota Deo & Superioribus suis anima, secreti sui abscondita intimosque affectus tanto liberius pandit, quanto & per sacræ Confessionis sigillum securius, & per Sacramenti religionem sanctius deteguntur.

6. Quod ut maiori cum fructu fiat, vita & moribus ita compositi sint Decani, taliq; scientia ac peritia ad sanandos animi morbos, tractandique vnumquemque proæ-

d. Synodus
Diocesana
sub Adolp. 3.
anno 1349. 2.
Oïto habita.
pag 459. a. b.
b Adolp. 3. in
Synod. Anno
1350 26. Feb.
habita pag.
464. a. &
465. a.
Supra tit. de
Prelatis ar-
tic. 6. Cöcil.
Lateranens.
sub Alexan-
dro tertio ha-
bitum, cap. 3.
quod habe-
tur cap. 7. de
elect. 5. In-
feriora, &
Paulus 3. in
Regulis Cam-
cellariæ. cap.
De duobus
Decanati-
bus in Ale-
mania non
obtinēdis.
Ioan 10.

gritudine sua, arte præditi; vt Canonici & reliqui omnes, quotquot Decanis subiecti sunt, non solùm non inuiti, ad faciendam sacramentalem confessionem eos accedant; sed illos præ alijs eligant, malintque propter salubriora consilia, & præstantiora remedia, quæ per illos potius, quàm per alios, in recuperatione valetudinis internæ experiuntur, ipsorum potius, quàm aliorum opera, in sacris confessionibus vti.

7. Non respondeant hîc Decani quidam, insuetum esse, nec conuenire dignitati suæ ministerium tale. Non insuetum, sed desuetum dicant, & per desuetudinem peccatum esse agnoscant, atque nobilissimum agrum Domini, alioquin natura sua fertilissimum, non solùm hac negligentia alibi sine fructu esse, sed pro fructu tribulos & spinas proferre, magna contritione cordis doleant. Ita que post longam desuetudinem, sanctam consuetudinẽ repetant, & quæ olim magno cum fructu, & Ecclesiarum splendore à Decanis factitata sunt, nouo pietatis ardore, nouo Christi ac animarum salutis amore; nouoque domus Dei zelo factitent, ac sese ad audiendas subditorum suorum confessiones frequenter offerant. Locum huic rei conuenientem, vel in sacrario vel in Domo Capitulari, vel alibi in Ecclesia designent. Horam certam, quando huic functioni vacaturi sunt, annuncient; omnibus causa confessionis eos accedere cupientibus, facilem accessum præbeant; ad verecundos sese insinuent; benigne, patienter ac longanimitè omnes audiant, omniaque ælia intermittant, vt hîc nihil omittant, nihilque quod ad expertum animæ medicum pertinet, negligant. Operosum quidem hoc officium, & quod animum, vt reliquis virtutibus, ita Christiana quoque humilitate, ardentique charitate instructum requirit: sed tamen contra quam tumidus, irreligiosus, & Ecclesiastica ministeria spernens animus iudicat, caelesti dignitate plenum. Quid enim ex omnibus, non Decanorum modò, sed Prælatorum

rum

rum omnium officijs dignius, quidē excelsius, quā diuina auctoritate peccata soluere, quā potestate clauium ad aeternam beatitudinem peccatoribus aditum facere: quam quidem potestatem sacerdotali ordinatione receperunt, & iurisdictionis Decanalī auctoritate exercere possunt. Quō eis auctoritas hęc: quō eis ista iurisdictionis facultas, si eam non vsurpent, sed vel ligent in sudario cum seruo nequam, vel cum seruo pigro sine aliqua vsura fodiant in terram? Imō verō vt hoc præ alijs possint, se quoque Prælatos dici intelligant, & verē esse si præ alijs faciant. Vt enim possint, † sub pœna suspensionis fructuum tenētur intra annum à tempore adeptæ pacificæ possessionis esse sacerdotes: Vt autem præ alijs possint, in prouinciali Concilio, sub Adolpho * tertio Anno 1549. peracto, tanquam peritiores medici, qui in grauioribus & periculosioribus morbis præsentissimam adhibere possint medicinam, prærogatiuam acceperunt, sibi confessos ab omnibus casibus, de iure vel per statuta synodalia Archiepiscopo reseruatis, in foro conscientie absoluendi. Quamobrem audiendi subditorum suorum confessiones necessitatem sibi impositam, vsu & consuetudine faciant leuiorem: cū vt vsu & praxi, curandi animarum morbos peritiam maiorem acquirant, tum vt qui in casum reseruatum inciderint, sine prodicione criminis sui, absolutionis gratia eos conuenire queant. alioquin enim si tantū in casibus reseruatis confessiones audire solent, illi magno cum rubore, grauioris criminis reos, prodere se cogentur.

8. Eodem porrō spectat, quod ab eodem Adolpho, in inquisitionibus tempore visitationis in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, de Decano faciendis quærendum proponitur: An Decani inuigilent, vt secundū Canonem *Omnis vtriusque sexus* de Poenitentia & Remissione omnes personæ Ecclesiasticæ, ad

† *Supra tit. de Prælatiis cap. 19. VVilhelm. in stat. ca. 8. pa. 159. 160. Conrad. in stat. cap. 9. pag. 13 a. * Pag. 455. c. Reseruatō enim casuū sit, partim vt infirmiores hac ratione deterreantur à grauioribus criminibus, partim quia conuenit vt grauioribus morbi peritioribus medicis committantur.*

minimum semel in anno ipsis seu de eorum permissione, Ecclesiæ Parocho, & idoneo sacerdote peccata sua cōfiteantur, & secundum Ecclesiæ ritum communicent, & an in negligentes vel detrectantes (vt Canon ille iubet) animaduertant.

9. Ex quibus verbis, præter hoc quod de audiendis confessionibus vrgemus, animaduertant Decani Canonem *Omnis utriusque sexus*, non laicos tantum, sed etiam Canonicos, reliquosque Clericos obligare, eosque ab ipsis, si non fecerint quod in Canone illo requiritur, secundum eundem Canonem puniendos esse, nempe vt viuos arceant ab ingressu Ecclesiæ, & mortuis Christianam negent sepulturam. Nam præterquam quod Canon vniuersè loquatur, omnesque Christi fideles generatim comprehendat, ab Adolpho tertio ad continendum in officio eos, qui immediatè Decanis subsunt, speciatim adducitur.

10. Animaduertant præterea, eos qui immediatè eis subiecti sunt, non nisi sua permissione alieno sacerdote, licet Ecclesiæ parocho peccata sua confiteri posse. Quod & in præsentī constitutione Adolphi tertij, & clarius in statutis Sifridi ca. 8. pag. 44. in tanta sacerdotum multitudine prudentissimè & consultissimè declaratum est; cum vt Decani nominatim sciant, quibus singuli subditi sui confiteantur, tum etiam quia aliter vt Canon testatur, alienus sacerdos, eos non potest absoluerē, vel ligare.

Cap Omnis
vtriusque
sexus.

11. Cùm autem omnes illi immediatè Decanis subsint, etiam si Laici fuerint, & coniugati, quotquot infra immunitatem habitant, vel in domibus Capitularibus vt vocari solent, extra immunitatem quidem sitis, sed eiusdem iuris cum illis quæ intra immunitatem sitæ sunt: iisdem Decani tanquam proprij eorum pastores, omnem pastorem curam impendant. Et quemadmodum D. Adolphus tertius, rectè monet, omnes & singulos sæpe moneant, vt quisque vocationi suæ gnauiter incum-

cumbat, & vitam ducat appellatione sua dignam, atque si quos Pastores vel Ecclesiæ suæ vicarios sub se habent, qui Pastores familiæ vocantur, hos suos coadiutores, ac pastoralis officij vicarios duntaxat ministros agnoscant, non autem tanquam proprios Pastores, & quibus nullâ sollicitudinis debeant inspectionem, pro voluntate sua agere & negligere sinant.

12. Ac proinde tales vicarios, ac coadiutores ad hoc onus promoucant, aut promoueri curent, quibus incumbentem sibi animarum curam tutò credere & dispartiri valeant. Qui videlicet, cùm cæteris morum grauitate, vitæ innocentia, charitate atque insigni doctrina præstent; præ cæteris digni sunt, qui in cura Pastoralis Decani onus supportent, eosque in officio pastoralis ita dirigant, vt nec vltra facultatem sibi commissam, aliquid tentare præsumant, nec in exercendis talentorum suorum vsuris, ac lucrificandis animabus, desidia aut ignauia torpescant, nomine videlicet pastoris gloriantes, sed charitate & operibus pastoralibus vacui & inanes.

13. Vt autem Decani, hos sibi magis obtemperantes, magisque sedulos in operè Pastoralis sentiant cooperatores, vtque ipsi Decani agnoscant, qua in re illos sibi vicarios ac cooperatores habeant: officia etiam humillima quæ his, tanquam Decanorum in munere pastoralis vicariis incumbant, ipsimet aliquando magna cum humilitate & charitate, sine vlla indignatione perficiant, vt cùm Domino ac Saluatore nostro dicere possint. *Exemplum de di vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Nihil enim & ad erudiendum aptius, & ad permouendum potentius, quàm si Dominus aut magister, ex summa humilitate & sincera charitate aliquando faciat, quod à famulo aut discipulo rectè factum desiderabat.

14. Cæterum, vt in his se vtiliter, & magna cum omnium ædificatione, ac nominis sui æterna claritate Decani humilient, ad ea tamen quæ Decano propriè incumbunt,

In inquisi-
tionibus in Ca-
thedralibus
& Collegia-
tis Ecclesijs
faciendis. p. 479. c. § 23.
Cap. extirpã-
da consue-
tudo § qui
verò, de præ-
ben. & dign.

Ioan. 13.

bunt, illos assurgere non permittant; videlicet, si sacramentum Eucharistiæ, aut extremæ Vnctionis fuerit administrandum alicui in lectulo ægritudinis iacenti Canonico, hoc ipsum nisi necessitas, aut causa vrgens aliud cogat, ipsimet faciant Decani, seruata forma à Canonibus & Ecclesiarum suarum statutis præscripta, comitantibus videlicet, & præsentibus omnibus Canonicis ac vicarijs, sic vt omnes cum sacerdote inungente infirmum, Psalmos, litanias, & orationes ab Ecclesia traditas, vt hæc in agenda continentur, deuotè, & fixis in terram genibus, super infirmum dicant, ac quisque hoc vltimum vale ita dicat fratri suo, per ignotas vias ad iustum iudicem suum abituro, quemadmodum sibi in statera appenso, & inuento minus habenti factum vellet.

15. Si autem Decanum à ciuitate, seu loco residentie suæ fortè abesse contigerit, vel ipsummet corporis infirmitate, aut alia quauis iusta causa ab huiusmodi officio infirmo fratri suo præstando impediri; tunc Decani vicem supplebit, qui Decani absentis locum tenet.

16. Quod verò ad sacram attinet communionem, cuius hîc per occasionem facta fuit mentio: cùm in homine Christiano, ac præsertim Ecclesiastico (qui vt præ alijs in nulla re impeditus, precibus, orationibus atque sacrificijs perpetuò vacaret, & suis meritis supplex pro populo apud Deū intercederet, alijsq; sanctitatis esset exemplum, subsidiū victus, atq; honorè ab Ecclesia accepit) signū sit tepidæ aut nullius fidei, tepidèq; aut nullius charitatis, nihil vltra præceptū facere, ac hoc ipsū, quod præceptum exigit, vix aut ægrè adimplere; multumque is à Deo elongatus esse conuincatur, atque terrenis desiderijs nimis affixus, qui vel simplex Clericus, vel in sacris Ordinibus constitutus, à frequenti corporis Christi communionem abhorret, vel Sacerdos singulis quibusque diebus Dominicis & festis voluntaria Deo placendi, Deumq; placandi seruitute, Missæ sacrificium non offert; sed id tantum facit,

Adolp. ter
tius in ijsque
in Cathedra
lib. 8. Colle
giatis Eccle
sijs inquiri
debent. 8.
63 pag. 482.

Cyprianus
lib. 1. epist. 9.

facit, cum ex obligatione quadam, ad sacrificandum cōstringitur, vel liberali eleëmofyna inducitur: Decanorū erit non tantū inuigilare vt secundū citatum magni Concilij Lateranensis Canonem, communi laicorum lege Clerici Ecclesiæ præcepto satisfaciant; sed & sine vlla defatigatione ad laborare, vt (quemadmodum in præcedentibus, cum de Prælatiſ generatim ageretur, indicatū est,) non tantū pijs exhortationibus, sed & suo exemplo crebram ac frequentem corporis Christi communionem, apud Clerum in vsum teuocent. Et sacerdotes quidem singulis diebus Dominicis & festis, etiam si non teneantur ex officio, in spiritu humilitatis, & corde contrito faciant sacrificium, eosque istuc permoueat pia atque celebris D. Bonauenturæ sententia, quam ad obtinendam à sacerdotibus frequentē sacrificij oblationem protulit, sic enim ait: *O quam graues angustie: O quanta angustia me vndique affligentes: accedere indignè horrendum est iudicium, non accedere ex notabili negligentia, vel contemptu damnabilis est culpa. Nam cum sacerdos est absque peccato mortali, & in proposito bono, non habens legitimum impedimentū, & non ex reuerentia, sed ex negligentia celebrare omittit, priuat Trinitatem laude & gloria, angelos letitia, peccatores venia, iustos subsidio & gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, & seipsum medicina & remedio, contra quotidiana peccata & infirmitates. Tantum Bonauentura. Reliqui verò si non octauo quoque die, iuxta reformationem Pij Quinti, saltem semel in mense minores Clerici, ac etiam in solennibus Christi Domini, Beataque Virginis Assumptionis, Omniumque Sanctorum, diebus festis; in maioribus autem Ordinibus constituti, bis singulis mensibus solennibus Christi Domini & festis Beatae Virginis supradictis, à Decano suo, vel à sacerdote Missam solennem cantante, sacrosanctum & viuificum corpus Domini accipiant. Subdiaconi & Diaconi,*

præ-

Artic 16.
17.

Traſatu de
preparatio-
ne ad Miſſā
ca 5. Cuius
iniſſion eſt,
T. iij. d. præ
ba te ipſū.

In conſtitu-
tione pro Cla-
ri reformat.
adii Anno
1566.

Concil. Tri-
denti sess 23.
cap. 11.

De consecrat
dist 2 cap.
Et si non,
cap. saccu
lares.

præterea festis omnibus alijs, quibus altari in solemnissimæ sacrificio, vestibus sacris induti ministrauerint, sacram communionem accipiant: vt quemadmodum ad sacros Ordines promouendi, crebra corporis Christi cõmunionem, vitæ suæ meritum comprobare tenentur: ita promoti, crebriori cõmunionem augmentum eius faciant, in ædificationem sui, in charitate Dei & proximi. Alij porrò laici, qui Ecclesiæ deseruiunt, vt sunt Virgiferi, Custodes aut Campanarij, & similes, ter minimum in anno secundum legem, olim omnibus laicis præscriptam & obseruatam, ad percipienda in Ecclesijs, quibus ascripti sunt, sacramentalia corporis Christi mysteria inducantur. Decet enim, vt qui ad ministrandum, & seruiendum in Ecclesia Dei assumpti sunt, Deo præ alijs placere, & per vitæ sanctimoniam ei propinquius astare studeant: vt ne hinc aliquando grauius damnentur, quod ad sanctitatem aliorum collaborauerint, ipsi interim omni sanctitate inanissimi; tanto ob hoc maiore intercapedine, à Regno Dei segregandi, quanto hic ministerijs externis Deo, diuinisque officijs propinquiores, & in populo honoratiores fuerunt. Et licet intra immunitatem Ecclesiæ cui seruiunt, non habitent, sed forsitan in Parochia aliqua, quâuis Collegio vicina, Collegio tamen aut Decano non subiecta, non in Parochia quæ idem illa, sed in Collegio, cuius sunt membra, à Decano vel alio sacerdote, sollemnem missæ sacrificium faciente, sacram Eucharistiam istis diebus accipient. Ne dum eos Decanus putat communicare in Parochiali Ecclesia, & contra Pastor id existimat eos facere in Collegiata, nec huic, nec illi satisfiat.

17. Vt autem Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, Canonici, & reliqui Clerici ac laici, ad quos hæc nostra Constitutio dirigitur, promptiori animo ac deuotiori voluntate eidem sese conforment, & inuitati ad cæleste epulum, lubentes veniant; nec excusando excusationes in peccatis, quod minus obtemperent sese excusent: pro tradita nobis

nobis ab Apostolica sede potestatis mensura, Ecclesiae thesauros benignè aperiens omnibus & singulis supra dictis, qui praescriptae Constitutioni nostrae parebunt, & diebus designatis sacrosanctam Eucharistiam modo quo dictum est deuotè accipient, vel salutare Sacrificiū offerent, & simul pias ad Deum preces effundent, vt Ecclesiam suam sanctificare, regere, pacificare, custodire & adunare, haeresesque vndique euellere, & extirpare, atque Ecclesiae Prælati virtutem largiri dignetur, qua impositum sibi munus, ad eius gloriam, subiectorumque salutem administrare possint & velint, atque subiecti eisdem bene monentibus pareant, recteque eos dirigentibus acquiescant: de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli auctoritate confisi, toties quadraginta dies, de iniuncta eis poenitentia relaxamus.

18. Si qui verò, sibi plus æquo sapientes, hisce nostris inuitationibus, & Prælatorum suorum exhortationibus acquiescere contempserint; & vt obtemperent, nec premijs induci, nec rationibus potuerint permoueri: Hos Decani primùm priuatim, deinde si non proficiet, publicè seuerius corripient, declarabuntque eos hoc in fidelibus Niniuitis longè inferiores, qui regi suo homi- *lonas.* ni prophano præcipienti, ieiunium saccum & cineres, ad placandam iram Dei & reuocandam latam perditionis sententiam, magna alacritate obediuerunt: quod ipsi inuitantibus eos ad coenam magnam, ad panem angelorū, ad refectionem animarum suarum, Apostolorum successoribus, Christi que in terris vicarijs obtemperare detrectent. Quibus tamen cum ad patrimonium Christi, ex quo subsidium vitæ & honorem suscepturi erant, admitterentur, illiusque insignia, vt ei deuotius præ cæteris seruirent, acciperent, iureiurando obtemperaturos se promiserunt. Vbi autem nec correptionibus quidquam obtentum fuerit ad multas, si videbitur consultum, pro cedant, & primùm quidem parua, secundò magna, tertio

Z

verò

De hac re vi
deatur D.
Gregor.
Homilia 36.

verò maiori aliqua portione Canonica priuētur, vt tātū
la tēporalis emolumētī iactura, pro terrenis cœlestia, pro
caducis amare discāt æterna, & comedētes panē illum, eū-
dem esurire incipiant, quem non sumentes fastidiebant.

19. Eadem cura & deuotione, qua Decani Pastorale
officium præstare tenētur, honorem Dei in Ecclesijs qui-
bus præsumt tueantur. Quamobrem quæcunque infra de
diuinis officijs ordinata sunt, eo studio obseruari curēt,
vt nihil hīc ab eis desiderari possit; sed zelo domus Dei
accensi, sedulo aduertant, & circumspiciant, an quidquā
præter illa desideretur, quod ad cultum & honorem Dei
augendum, & illustrandum facere quoquo modo possit.
& hoc ipsum auctoritate qua præditi sunt, obseruari cu-
rent, eoq; in studio sese mutuo æmulentur, & pia concer-
tatione, animiq; viuacitate vincere studeant.

Concil pro
uinc. sub
Herm 5. par.
te 3. c. 2. pag.
356. Adolp.
3. in prepara-
tione ad visi-
tationem. pa.
483 a b. §. 80.
§. 82. & in
inquisitioni-
bus, que in
Cathedral. et
Collegiatis
Ecclesijs fie-
ri debent. pr.
479 c. d. §.
24. 25.

20. Inter reliqua porrò munia, quæ Decani magna vi-
gilantia & sollicitudine obire debent, curanda est Cleri-
calis vitæ sanctitas, grauitas atq; honestas: nempe vt om-
nes quotquot eis subiecti sunt vitam ducant suo statu
ac ordine dignam, non incedant gladijs accincti terribi-
les, non gaudeant longo accubitu, nec studeant euacuan-
dis poculis ad æquales hauustus, non comam indecentem
& militarem nutriant vel barbam, sed tonsuram ac habi-
tum deferant clericalem: & si qui sint inobedientes, ebrī-
osi, luxui indulgentes, aleatores, percussores, rixosi, scot-
tatores, ignaui, mercaturam & vsuram exercentes, & of-
ficij sui negligentes, in eos secundum cēsuram sanctorū
Canonum animaduertant, & excessus quorumcunque
Canonicorum, & Vicariorum insolentiam, aliorumq;
subditorum vitia, quoties opus est castigent. Quò spectāt
ea quæ infra de Canonicis, & Clericis, de residentia Ca-
nonicorum aliorumq; ministrorū Ecclesiasticorum, de
beneficijs item Ecclesiasticis, & de concubinarijs recen-
sita sunt. Similiter ad eorum quoq; curam pertinet, que
de recta bonorū Ecclesiasticorū administratione præscri-
pta.

pta sūt. Et passim reliquo hoc opere quāplurima inueniētur, quæ vt ducātur in vsū, & ea qua par est deuotione seruētur, Decani authoritatis & potestatis suę pōdus interponere debebūt. Proinde iūgant curā suā Superiorū suorū dispositionibus, & vt circūspectè ac velociter impleātur, quę ad totius Ecclesię incolumitatē, & laudabiliter digesta sūt, & salubriter ordinata, ea oīa flagrāti lectionis & meditationis studio cognoscant, cognita obseruent, seq; omniū bonorū tale præbeāt exēplar, vt ipsi sint viua lex, & tanquā veri animarū Pastores, oues suas præcedāt, quocunq; eas sequi voluerint. Quā vitę formā in primis à Decanis exigit Concil. prouinciale sub Herm. 5. habitū dū parte 14. ca. 4.* pro reformatione Ecclesiarū Cathedraliū & Collegiatarū primā curā ponendā esse cēsuit in Ecclesiarū Pręlatis maximeq; Decanis: consequi. n. necessariò, si illi cœci fuerint, vt hi quibus ducātū præstāt in foueam trahantur, ac simul cū illis cadant, eò quod facilè ab alijs in exemplum trahatur, quicquid ab illis committitur.

21. Qua in re, vt & Decanis & eorū subiectis rectè cōsulamur, ne dū sensus eorū, per externarū rerū curā, multum distrahuntur, ea quæ ad mores & ad vitā suā rectè formādam, quęq; officij propria & præcipua sūt, intermittant aut obliuiscantur; cōuentus illos, quos antiquę sanctarū Constitutionū regulę Capitula disciplinę vocāt, singulis minimū mensibus, in omnibus vtriusq; sexus Collegiatis Ecclesijs præcipimus custodiri, prima videlicet die Capitulari vacāte cuiuslibet mensis: vel, si magis placuerit, celebrioribus saltē festis imminentibus; Resurrectionis nimirū Dominicę, Pentecostes, Natiuitatis Iohann. Baptiste, Assūptionis B. Marię, omniū Sanctorū, Natiuitatis Dominicę, Dedicationis & Patronorum Ecclesię, ac sub initiū Quadragesimę. In huiusmodi Capitulis singulis vicibus à iunioribus Canonicis per ordinem ex his Decretis tantum legatur, vt quæcunque ad Prælatos vel inferiores Canonicos, Vicarios, Clericos, aliaq;

Vide tit. de
Archidiaconis,
vbi agitur
de synodis
& tit. de
pastoribus.

Concil prouinc
sub
Hermanno
5 parte 14. c.
1 Adolph. in
inquisitionibus
in Cathedrali
& Collegiatis
Ecclesijs faciendis
pag 479. c. 5.
23 24. 25.
* Pag. 405.

Ecclesiasticas personas, quouis modo spectant, singulis annis perlegantur; & siquid Decani ex Conciliorum Prouincialium vel synodaliū, alijsue Archiepiscoporum Coloniensium statutis adiungendum iudicauerint, hoc quoque adiungatur. Inter alia verò adiungi in primis volumus, & frequenter prælegi formulas iuramentorum, quibus Ecclesiarū Prælati, Canonici, Sacerdotes, Officiales, & ministri vel ratione ordinationis suæ ad sacerdotij gradū, vel ratione institutionis suæ ad Præbendas, Canonicatus, Ecclesias parochiales, dignitates, vel ratione officij seu ministerij sui, se Deo, Ecclesiæ suæ, suisque Superioribus obstrinxerunt. Hac quippe ratione fiet, vt & hæc & sanctorum Patrum præcepta & definitiones omnibus innotescant, & qualiter quisque vitam suam instituere debeat, & muneri, quod sibi incumbit, satisfacere, cuique manifestum euadat. Dabitur etiam occasio, vt si quæ obscura videbuntur, & explicatione digna, eadem Decani explicēt, & quæ inculcāda oportuna & importuna adhortatione, inculcēt, quæque corripienda, emendanda & castiganda, sine dissimulatione corripiant, emendent, & castigēt; & quæcunq; contra Ecclesiasticæ sanctionis regulas, culpabili nouitate, malè pullulasse cognoscent, statim in ortu suo radicitus euellant.

Pagi. 359. c. 22. Quod quam ratione Decani præstare debeant, ca. 14. 15. 16. & 17. partis tertiæ Concilij Prouincialis, quod præsidente Hermanno Quinto Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo habitum est, luculenter est expositum; quò Decanos remittimus, eosdem DD. Conradi & Adolphi III. Archiepiscoporum Coloniensium verbis admonentes, vt antiquum illud Capitularis disciplinæ ius, quod in vetustis Ecclesiæ suæ codicibus habent, in vsum reuocent, & peccatis publicis pœnitentias publicas iungant. Nam cùm, eodem D. Adolpho teste, sine huius disciplinæ restitutione, Ecclesia perpetua scabie laborabit, nec scandalorum futurus sit modus, ac pijs se pecca

Synod. Die
cesana feria
3 post S. Mat
thie, sub A
dolph. 2. An
no 1550 habi
ta pag 465 a
466.d

peccatis inuoluent alienis : hæc omnia eorum culpæ meritò imputabuntur, quod commissam sibi excessuum correctionis potestatem, suiq̄ue officij regimen, quemadmodum bonos dispensatores super familiam Domini constitutos decebat, exequi neglexerint, & subiectorum suorum excessus, secundùm Canonicas sanctiones corrigere noluerint; eadem ob hoc pœnæ cēsura digni, quam in Regem Achab, seuera hac Prophetæ sententia prolata legimus. *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius.*

Cap 5. statut.
1078 D V V il
helmi, quod
incipit Bone
memoriae
pag. 157. c. d.
Conc. prou.
sub Comrado
c. 9 p. 12. d

3. Reg. 20.

23. Præscriptus verò à nobis dierum Capitularium numerus ita seruetur, vt tamen si angustior sit, quàm vt agendis & perficiendis illis sufficiat, quæ certis istis diebus agenda ordinauimus: Decani plures dies decernere possint, quibus nostrarum Constitutionum decreta, ac Ecclesiæ Colon. statuta prælegatur, & de moribus Ecclesiasticarum personarum inquiratur, ac reliqua quæ ad correctionem excessuum, & vindictam transgressionum faciunt, mandentur executioni. Imò verò vt cum Apostolo aliquid humanum dicamus, non minor sit cogitatio, cura, & sollicitudo, de obseruatione Sacrorum Canonum, ac regularum, quàm de terminis agrorum, de solutione annui census, ac rebus alijs minoribus, propter quas non singulis duntaxat mensibus, sed singulis minimum septimanis, ac in quibusdam Collegijs, singulis ferè diebus capitulares conuentus coguntur. Monente enim diuinæ vocis imperio, iste in rebus seruandus est ordo, vt primùm quærat^r regnum Dei, quo reliqua omnia adijciantur. Qua voce erectos & directos cupimus omnium animos, vt ne ordine perturbato & inuerso in vanum laborent omnes qui ædificant, tantoque minus proficiant, quanto suæ magis prudentiæ, quàm diuinæ sapientiæ & prouidentiæ innituntur.

Matth. 6.

24. Monemus itaq; & hortamur omnes, quot quot horum interest, vt ante omnia Deo placere studeant, & præ-

ter obseruationem dierum Capitularium, quam præscripsimus, nunquam de rebus temporalibus, in conuentibus Capitularibus fieri patiantur mentionem, nisi vel ex his Decretis nostris, vel ex Archiepiscoporum Colonienſium Constitutionibus aliquid, quod ad reformationem faciat, prælectum fuerit.

25. Proderit hoc non tantum, vt ſingulis annis prælegi Canonicis poſſint, quæ eis prælegenda præcepimus, ſed admonebuntur quoq; hac obseruatione Prælati, & Canonici, omnia ad diuinum honorem dirigenda eſſe, eiq; ſeruire debere, nihilq; in rerum natura eſſe vtile aut neceſſarium, quod diuino honori aliqua ratione debeat anteponi: & ſi, vt veros Chriſtianos, Chriſtianaq; prudentia fideles Dei ſeruos decet, diuinis hiſce promiſſionibus ſeſe conforment, eiſque ſe tota voluntate credant, & toti ab eis pendeant; tanto vberioſorem in bonis temporalibus benedictionem hac obseruatione ſeſe à Deo conſecuturos confidant, quanto magis quæ Dei, quàm quæ ſua ſunt quærent.

26. Olim quolibet die, præterquam feſto, poſt decantatum officium defunctorum, Decani & Canonici ingrediebantur domum Capitularem, & ante omnem tractatum vel præbendæ vel diſciplinæ, aut cuiuſcunq; rei alterius, legebatur tabula Capitularis, quæ admonerat quæque ſui officij, quod vel cantando, vel legendo, vel quocunq; alio miniſterio in Choro obire debebat. Indicabatur deinde quota eſſet Luna, vt hac conſideratione, ſinguli inconstantia & mutabilitatis huius vitæ admoniti, non ſperarent in incerto rerum temporalium, ſed ab iſis ablactarentur. Proximè ab hoc annunciabantur dies obitus fratrum ac benefactorum, vt quorum beneficijs gaudebant ac ſuſtentabantur, eiſ gratitudinis & debiti officium redderent. Poſt hæc prælegebatur aliquid ex regula & vita Clericorum, cui adiungebantur ea quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam, ad correctionem morum, & ad
vindi-

vindictam transgressionum pertinebant. Postremo autem loco agebantur causæ, quæ ad præbendas, ad agros, ad annuos census, aliasq; res temporales spectabant, & si forte Decanus non erat præsens, qui ista curaret, eius vices supplebat Prior, quod nomen per Subdecani nomen abolitum arbitramur. Olim præscripta fuerunt hæc ab Archiepiscopis & Episcopis prouincialibus Ciuitatis, Diœcesis & prouinciæ Coloniensis: olim obseruata fuerunt à Decanis & Canonicis Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, Ciuitatis, Diœcesis, & Prouinciæ Coloniensis: olim omnium bonorum affluentia, & benedictione cœli & terræ florentissima erat Ciuitas, Diœcesis, & Prouincia Coloniensis. Nunc ista negliguntur, nunc ista in desuetudinem abierunt, nunc ista à multis contemnuntur, videntur, & vt queritur Synodus vernalis Anno 1550. sub Adolpho tertio habita, nunc ista in ludibriū abierunt. Nunc quoq; videtur Deus oblitus Diœcesis & prouinciæ huius, ac ridere in interitu eius. Resumatur itaque obseruatio pristina, primùm quæ ratur regnum Dei, & videatur an cœtera non adijciuntur.

27. Sed vt ad institutū reuertamur, faciet quoq; hæc lectio, si ea qua decet pronūciationis grauitate & distinctio-
ne legatur, & deuota audientiū attentione percipiatur, vt maiori cum iudicio, maioriq; tranquillī animi serenitate, atq; perturbatorum affectuum sedatione, de quibus-
eunq; rebus proponendis, quisque iudicare possit, quāsi, vt ferè fit, nulla animi recollectione quisq; ad ferendum suffragiū, aut ad pronūciandū de rebus propositis sententiā accurrat, vnde cōtingit, vt si qui ira, aut alijs animi perturbationibus commoti adueniant, non quidem illi cum animi tranquillitate iudicent, & de propositis rebus cum magna reuerentia disponant: sed quò eos fert animi sui impetus ferantur, & alios rectè iudicantes, quod volebant eloqui, suis clamoribus non sinant,

omnem

*cōc. pron. sub.
Con. c. 7. p. 11.
d. 12. a. sta-
tut. Hēnri. c.
o p. 69. b. sta-
tut. Vithel.
§. 29. p. 152. a.*

omnemque recti iudicij formam & æquitatem perierant.

28. Qua in re, si quis post hac vel clamore vel conuicio, vel alio quouis modo dicentem suo ordine interurbauerit, vel in Capitulari congregatione aliquas turbas excitauerit, is iudicio Decani, vel eius vices gerentis, vel Diaconorum, vbi illi Disciplinales sententias dicunt, pro modo culpæ, aliquamdiu suffragio sit exclusus; & si hac ratione non emendetur, secundum censuram cap. 72. Statutorum D. Sifridi excommunicationis sententia, à fratrum suorum societate abscindatur.

Pag. 230. b. c.

Adolphus 3.
in preparati-
one ad visita-
tionem pag.
48. b. §. 64.

Pag. 147. a.
Fertur hoc
capite senten-
tia excommu-
nicationis, et
in Canonicos
inordinatos
delinquentes:
& in Deca-
nos permittit-
es, aliosq; co-
operantes.

29. In dicendis suffragijs, omnes, quibus hoc iure competit, ex ordine patienter & longanimiter audiantur, & nemo, quamuis causa Ecclesiæ utilitatem respiciat, contemnatur. Qui autem in sacro Subdiaconatus ordine constituti non sunt, ideoque per Clementinam, *ubi tit. de etate & qualitate & ordine presbiteriorum*, nullum in Capitulo suffragium habent, non solum suffragio, sed quemadmodum Capite 33. Statutorum D. Valrami cautum est, etiam Capitularibus congressibus, dum suffragium dicendum erit, excludantur.

30. Vt in dicenda sententiâ non aberretur à recto, liberum ab omni priuato affectu cuiusque sit iudicium, ita ut quisque se rebus, non sibi res subijciat; nempe ut hoc rectum & iustum esse decernat, non quod sibi vtile aut commodum, sed quod secundum Deum, & Ecclesiæ utilitatem, è re rei illius erit, quæ iudicio submitte-
tur.

31. Si quando de peculiari cuiuspiam Canonici causa agendum erit, is deliberationi causæ suæ non permittatur interesse, sed donec de ea deliberatum sit è Capitulo exire cogatur.

32. Cùm de rebus grauib; in eunda erunt suffragia, eadem secreto ferantur, ut sine timore, quisque quod sentit, liberè

tit, liberè eloquatur. Auditis verò singulorum suffragijs, id quod maiori & saniori parti placuerit, concludatur, præterquam in gratiosis, cum videlicet de facienda alicui aut alicuius gratia agatur. In his enim iuxta D. Frederici Constitutionem iusta vnius Capitularis & præsentis Canonici contradictio, reliquorum suffragia remorari potest.

33. Cum verò Capitulares conuentus, etiam illi, in quibus de rebus temporalibus agitur, eò seruiant, vt Ecclesiæ cultus, & diuina officia sine intermissione, ad honorem Dei & proximi adificationem obseruentur; nequam illi vel Ecclesiæ cultum minuere, vel diuinis Officijs aliquid detrahere, vel populum aliqua ratione offendere debent: Quare in virtute sanctæ obedientiæ vetamus, vt nec summæ Missæ tempore, vlllo modo habeantur, nisi aliud cogat necessitas, quæ minimam temporis non patiatur dilationem: quo casu vt minimum tot mitantur Canonici in Chorum, qui ad diuinum officium cum honore peragendum sufficiant, nec alibi habeantur quàm in domo Capitulari, alioqui irritum sit & inane, quod vel in Choro, vel in Sacrario, seu armario, vel quauis alia templi parte, etiam peracto diuino officio, Capitulariter conclusum & definitum fuerit. Idcirco enim domus Capitulares maiorum pietate erectæ sunt, vt & reliqua Ecclesiæ loca, ab omni strepitu ac murmure quouis tempore essent libera, atque orationi vacare cupientibus, sui reuerentia multum conferrent, animique attentionem & intentionem omni modo promouerent, & Canonici si quid inconsideratius effutirent, vel animosius, quàm eorum modestiam decet proferrent, non alios quàm suos fratres offenderent.

34. Cæterùm cum ea, quæ hætenus recensita sunt Decanis incumbentiæ officia, nihil præscripta esse iuuabunt, si ea Decani non exequantur, sed illa vel negligant

A a

vel

Conc. pron.
sub Hermas.
5. par. 3. c. 18.
Adol. 3 in in-
quisition. in
Cathedr. cap.
Collegiatis
Ecclesijs fa-
ciendis p. 482
ca. 5. 65.
Cap. 72. sta-
tutorum D.
Frederici sub
pœna excom-
municationis
vetat, ne Ca-
pitulares con-
gregationes
ficerent, ante
quam vigilia
Missæ & com-
mendationes
defunctorum
peractæ, &
prorsus abso-
lutæ essent. p.
230. a.

vel intermittat; neglexisse autē & intermisisse omnia esse-
fendi sint, quādo nō residēt, & Ecclesiæ suæ diuinisq; offi-
cijs personaliter competens debitæ sollicitudinis & curæ
ministerium nō præstant: meritò cū ista Patres Conci-

*De officiorū
perfunctione
Medio ter-
tio ad compa-
randam exe-
cutionem re-
formationis
necessario ca.
Decanis pa.
435. d.*

lij prouincialis Anno 1549. sub Adolpho tertio diligen-
ter perpenderent, atque sentirent Decanis absentibus, vel
officio suo segniter fungentibus, quorundam Cano-
nicorum & Vicariorum insolentiam, ferè præualere ad-
uersus meliores, pietatem & zelum bonorum haberi lu-
dibrio, diuina officia negligi, neq; ritè, neq; ab omnibus
absolui, cantū præcipitari, vitæ & morū honestatē pericli-
tari, disciplinā prorsus nullā esse, & omnino licere prauis
quibusq; quidquid libeat: sub graui pœna præceperunt &
mandauerunt, vt Decani apud Ecclesias suas persona-

*Supra pagi.
24, 25, 26.*

liter resideant, & officio suo per seipso strenuè perfun-
gātur, excessusq; subditorū quoties op^o erit castigēt. Quod
salutare ac necessariū præceptū, vnā cū suis pœnis, cū de
residētia Pælatorū ageremus, innouauimus, alijq; cœsu-
ris cōfirmauimus, illudq; quo nimiam Decanorum quo-
rundā socordiam, magis percellamus, hīc repetimus, &
rursus innouamus, ac confirmamus. Non obstantibus
exemptionibus, statutis, vel consuetudinibus quibus-
cūq; quibus se Decani vel à choro liberos excusare possēt,
vel ad præstandum & curandum ea, quæ hisce decretis no-
stris illis præscriptimus non teneri. Nam quod se à choro
liberos prætere dēdere possēt, Conciliū prouinciale sub Cōra-
do, Anno 1260. cap. 9. par. 13. censuit esse abusionē, corrup-
telam, & pessimæ abusionis ac fraudis modum: Ne autē
in statutis, & quibusdam propriæ Ecclesiæ suæ priuilegijs
glorientur: in Concilio prouinciali sub Hermanno s. p. 3.
c. 19. pag. 360. d. explicatum est, habere ferè quotquot sunt
Cathedrales ac Collegiatæ Ecclesiæ, suum volumen pe-
culiarium statutorum, quæ interdum pro affectu priua-
to cuiuslibet augeantur & crescant, & inter hæc reperiri
quàm plura, quæ ad inæqualitatem potius, quàm ad æqua-
litatem.

Iratem faciant, vnde discordia inter Fratres frequenter
alatur, concordia verò scindatur, lacereturq;: Ideoq; ope
ra pretium esse, vt huiusmodi Statutorum volumina ex-
cutiantur, & quæ Euangelicæ puritati, disciplinæq; Eccle-
siasticæ minus consentanea reperta fuerint, rescentur, ca-
ueaturque ne post hac vlla noua statuta in eiusmodi Ec-
clesijs edantur, nisi Ordinarij accesserit calculus.

35. Cuius Constitutionis decreto, vt aliquando tandē
satisfiat, volumus vt singuli Decani, singulaq; Collegia
Ciuitatis Coloniensis Ecclesiæ suæ statuta, iuramenta,
priuilegia, & consuetudines, infra mēsis spatium, à publi-
catione horū statutorū nobis examinanda tradāt. Quod
nisi fecerint, & cōsignationē manus & approbationis no-
stræ obtinuerint, ea omnia ex tūc irrita, nulliusq; esse ro-
boris pronunciamus, & si quid postmodū priuata Decani
aut Collegij auctoritate adiectum fuerit, id antequam Or-
dinarij approbatio in scriptis obtenta accesserit, vim sta-
tuti minimè obtinere decernimus: Hoc ipsum alijs quo-
que Diœcesis Coloniensis Collegiatis Ecclesijs præscri-
pturi, quum ea quæ huius sunt negotij, in ciuitate Colo-
niensi, quæ aliarum Ecclesiarum ceu mater & caput est,
absoluerimus, exauctorantes interim ea omnia, quæ in
huiusmodi statutis, contra hæc Decreta nostra facere quo-
uis modo possent, & impedire ne executionem suam for-

*Huc spectare
videtur que
habentur in
fine capituli
42. statutorū
D. Frederici
pag. 214. &
cap. 32. partis
primæ Conci-
lij prouincia.
sub Herman.
5 pag. 347. a.
& in Conci-
lio prouincia
sub Adolp. 3.
pag. 452. d.*

36. Quoniam verò aliqui prætexunt statutorum
quorundam Ecclesiæ Coloniensis permissu, licere
Decanis plures Præbendas aut Beneficia obtinere, & vna
eadēq; die, in duabus Ecclesijs distributiones accipere: ti-
mendum valde, ne quotquot plures Præbendas aut plura
Beneficia obtinere affectāt, aut obtenta retinere laborāt,
hac prærogatiua illecti, Decani esse contendant, & inor-
dinato ac præpostero affectu, lucra sæculi in militia Chri-
sti quærentes, magis solliciti sint, vt ex fructibus dua-
rum aut plurium Ecclesiarum ditescant, & inexplibili

cupiditati satisfaciant, quàm vt vni Ecclesiæ ad honorem Dei aliquod officium præstent. Fuit forsitan olim hoc, quod prætenditur hac occasione permissum, quod Decanatus quarundam Ecclesiarum admodum tenues essent, ac portionem reliquorum fratrum non excederent, minimeque ad ferenda onera & sumptus, quibus Decani magis quàm alij Canonici grauantur, sufficerent. Verùm cum ea permissione Decani frequenter à suis Collegijs absint, & inter alia incommoda ac damna disciplina eius Ecclesiæ cui præsumt, partim negligatur, partim eneruetur, atque duplex honor qui eis permittebatur, quod bene præessent & vtiliter prodesse, faciat, vt nec præsent, nec profint: sed magis subiectorum suorum animos, vel ad infatiabilem cupiditatem, ad auaritiam, & similem vitiorum licentiam, exacuent, vel ad sui despectionem commoueant: & præterea dum in pluribus Ecclesijs simul residere non possunt, vel illa Ecclesia vbi sunt Decani, vel illa in qua sunt Canonici aut Vicarij vel Beneficiati, necessariò præsentia vnus personæ carere cogantur: vt peccata & scandala hæc tollamus, & ex agro Dominico prorsus extirpemus, omniumque querelarum prætextus & occasiones, necnon quæuis incommoda & damna ab Ecclesia Dei quantum possumus vndique excludamus; singulis Decanis Collegiatarum Ecclesiarum, quibus pro honore & onere dignitatis suæ, non est satis amplum stipendium assignatum, tam in corpore præbendæ, seu principalibus annuis fructibus, quàm in distributionibus quotidianis, tantùm tribuendũ esse censemus, quantũ duobus alijs eiusdem Ecclesiæ Canonicis.

Vide Adolp.
2 p 41, d.

37. Quare ne causa relinquatur, cur non debeat quisque Decanus solo Decanatu esse contentus; si quæ sint Ecclesiæ, in quibus principales fructus Decanatus, & quotidianæ distributiones tã sũt tenues, vt portionẽ Canonicam vnus eiusdem Ecclesiæ Canonici vltra medietatem non excedant, & omnium Canonicorum eiusdem Ecclesiæ
iudi

iudicio, ad ferenda Decanatus onera, & ad tenendam dignitatis huius honestatem, minimè sufficient; iacturam vnus aut plurium personarum, quàm hactenus senserunt collegia per occupatores plurium beneficiorum, censemus ferendam potius esse per vnionem plurium præbendarum: ideoque vbi præbenda Decanatu vnita non est, præbendam quæ primò, mense Pontificio vacabit Romani Pontificis autoritate perpetuò Decanatu huiusmodi vniendam esse iudicamus; ita tamè, vt quod ex vnione talis præbendæ, cum Decanatu, qui portione vnus Canonici præstabat, vltra duas portiones excreuerit, non quidem Decanatu, sed vsibus fabricæ applicetur.

38. Qua vnione facta, non liceat alicui Decano, cuiuslibet statuti aut priuilegij vigore, præter Decanatum, aliam Præbendam, Vicariam, Beneficium, aut officiũ sine dispensatione Apostolica obtinere, aut obtentum retinere. Quæ quidem dispensatio non censeatur legitimè obtenta, nisi in litteris dispensationis, expressa & sufficiens huius Decreti nostri facta fuerit mentio, & omnes Collegij istius (cuius Decanus hoc tentat) Canonici, capitulariter congregati, iureiurando testentur, fructus & emolumenta, Decanatus sui Collegij vnà cum præbenda ei vnita non sufficere, vt ijs solis Decanus personæ suæ dignitatè & honestatem tueri possit. Alioquin nisi intra spatium trium mensium ab vnione huiusmodi facta, aut Decanatum aut Præbendam, vel alia quæcunque beneficia Ecclesiastica resignauerit, excepto Decanatu, reliqua beneficia quæ possidebat, ex tunc vacare declaramus.

39. Ne quis autem labentibus annis, contra Constitutionem hanc aliquid tentare præsumat, vt si possidens Beneficium aut Præbendam, ad Decanatum promoueatur, aut Decanus existens Beneficium vel Præbendam acceptet, per id quod vltimò obtinuit primum perdidisse

declaramus, illudque vacare mox ubi emolumenta aut fructum aliquem ex eo quod postremò obtinuit, percipere inceperit, aut percipere potuerit.

40. Quæ quidem omnia & singula etiam locum habere volumus, in Decanatibus, quorum annui fructus, & quotidianæ distributiones, ante hanc Constitutionem nostram duabus portionibus Canonicis aut pares erant, aut iisdem præstabant: saluo quod illud quo præstabant, Decanis æquè ut prius remaneat, & fabricæ hac Constitutione nostra, nullum ad id ius fiat.

41. Si tamen Præbendæ alicuius Collegij, inuenirentur tam esse tenues, ut omni fraude ac dolo cessante, huiusmodi vnione facta, bonorum virorum iudicio Decano nondum satis adiectum esset, quo honestè dignitatè suam tueri posset: huic nolumus hisce Cōstitutionibus, nouam aliquam alicuius iuris aut approbatæ consuetudinis derogationem iniectam esse.

42. Sed expendendum proponimus, an non præstaret hoc casu satagere, ut Præpositura talis Collegij, vel ex parte saltem Decanatu vniretur, potius, quàm ut sustentare se ille cogatur cuiuscunque alterius Ecclesiæ Præbendæ, maximè si ea alioquin ab oneribus certi ministerij, vel ab assiduitate frequentandi chorum libera non fuerit, vel ut diuersorū collegiorum curis capitularibus Decanus distèdatur, aut aliquid aliud præ se ferat, quod aliquo modo inordinatum videri possit.

43. Decano absente vel præsentem quidem, sed nõdum sacerdote, eius locum teneat Subdecanus si sacerdos fuerit, aliàs verò & ubi Subdecanus non est, senior sacerdos inter Canonicos residentes, cui tunc distributionum quotidianarum, quæ Decano debebantur, medietas liberè cedat, altera medietate in vsum fabricæ reseruata.

44. Ut hæc quæ Decanis præscripsimus leuia eis fiant & facile exequantur, Dei gratia, sine quia nihil possunt,
ipfis

ipsis in omnibus necessaria est. Hanc itaque in spiritu humilitatis & corde contrito sine intermissione implorēt, ac sancta conuersatione in fide, spe, & charitate, tales sese exhibeant, vt non pro se tantum, sed & pro sibi subiectis orantes, semper exaudiri mereantur, aspicientesque in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, per patientiam impositi sibi muneris certamen, & aduersitates percurrant, atque vt ne defatigentur, animis suis deficientes, recogitent qualem ille cui seruiunt sustinuerit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem. Hac consideratione, remissas manus, & soluta genua erigentes, in aduersis & prosperis semper vigilēs, contemplantur, ne quis ex sibi commissis desit gratiæ Dei.

45. Ad hæc dent quoque operam, vt Subdecani, Choriepiscopi, Scholastici, Cantores, alijque qui in partem sollicitudinis Decanalis vocati sunt, suis nominibus respondeant; nempe vt oneribus quæ Decano incumbunt, ne ille nimium grauetur, humeros suos qua parte cuique competit, supponentes, muneri suo satisfaciant. Vt autem satisfaciant, si rationibus, admonitionibus & correptionibus induci ac permoueri non potuerint, pœnis Canonis compellantur, nullusque posthac in locum defuncti alicuius horum, aut eligatur, aut electus vel designatus adnotatur, nisi qui nomini & muneri suo plenè satisfacere possit & velit; Hac quippe ratione fiet, vt quemadmodum per diligentes & vigilantes Decanos, Episcopi, in portandis Episcopatus sui muneribus multum auxilijs sentiunt; ita Decani per zelosos & strenuos Subdecanos, Choriepiscopos, Cantores, aliosque similes opitulatores, Decani onus leuius ferant.

46. Hæc itaque præcipua sunt, in quibus ad fidei integritatem, ad reformationem Ecclesiasticam, ad custodiã Canonum, disciplinæque Ecclesiasticæ restitutionem,

Deca-

Decanorum vigilantiam, studium & zelum ardentem desideramus. Quæ quidem vt & alia quæ sui sunt muneris atque officij, frequenter secum reputent, ac ante tribunal conscientia suæ in semetipsos inquirent, animum quæ suum interrogent, qua vigilantia, quo studio, quo zelo his alijsque sacrorum Canonum institutis & præscriptionibus, pijsque Ecclesie suæ consuetudinibus satisficiant, & nihil ne negligant aut intermittant, quod iurandi sacramento facturos se obligauerunt, ac sine salutis suæ, ac grauissimarum censurarum periculo negligere, aut intermittere non possunt.

47. Eadem quando eligendus erit Decanus diligentissimè examinet, & perpendat, intenta electorum cogitatio; vt alium non eligant, quàm qui in his curandis & exequendis omnem impendere velit curam, nec curam modò, sed & substantiam, & superimpedere seipsum pro animabus sibi committendis.

D E D E C A N I S

R V R A L I B V S.

5. **D**ecani Rurales, qui etiam Decani Conciliorum, Decani Christianitatis, & Archipresbyteri vocantur, ad subleuanda & supportanda Episcoporum & Archidiaconorum onera, constituti sunt; nò solù vt imperiti vulgi gerant sollicitudinem, verùm etiam, vt in Clericos, Presbyteros, & præcipuè in Pastores, qui per minores titulos habitant, assiduam habeant inspectionem, & tanquàm solliciti pastorum pastores, & Episcoporum atq; Archidiaconorum coadiutores semper vigilent, vt nec in populo, nec in clero sibi commisso, aut Catholicae fidei integritati, aut Christianorum morum sanctitati, aut Canonorum decretorum obseruationi quidquam desit, sed quisque vitam ducat, vocatione & professione sua dignam.

Cap. vt singularæ de officio Archipr.